

Neque vero silentio prætereunda est illa juvenibus nostris parata *pictura linearis* cognoscendæ exercendæque opportunitas in scholis CHRISTOPH. NATHII, V. Cl., illius artis magistri & artificis præclari, qui non eos solum recipiet, quos *Senat. ampl.* ipsi propediem decernet ex instituti Gersdorffiani beneficio formandos, sed alios etiam e cœtu scholastico, qui huic arti operam dare possunt & volunt.

Secundæ classis lectiones erunt:

Reactoris quidem una per singulas hebdomades syntacticis latini sermonis exercitationibus impertienda, in subsidium rei adhibitis formulis aut versibus gnomis in libello Christ. Balth. Lehmi syntactico.

CONRECTORIS quatuor Cornelio Nep. destinatae, tres ad graecae linguæ notitiam, qualem haec discipulorum aetas capit, promovendam, locis libelli Gedikiani faciliioribus.

SUBRECTORIS opera in scholis *publicis* versabitur in doctrina de religione christiana ad institutionem Rosenmuelleri: in geographia ductu Fabri, & in scriptis quavis hebdomade ad latine vertendum proponendis, iisdemque deinceps corrigendis. Idem in *privatis* scholis hujus classis cœtui habendis, ad parandam latina intelligendi facilitatem, e libris Jul. Caes. de bello gall. & civ. loca selecta tractabit. In graecis ut tirones juvet & provehat, primum adhibebit Christ. Frid. Matthaei, V. Cel. libellum hoc ipso consilio superiori anno editum, eoque finito, Palaephato usus est, aut alio his discipulis utili & congruo. Praeterea in illis lectionibus privatis nonnihil temporis tribuet elaborandis scriptis vernaculis, v. c. epistolis, narratiunculis & variis litterarum generibus in usu vitae communis.

Sed e scholis hujus classis *publicis* iam restant indicandae primum *Cantoris* lectiones Ovidianae in lib. trist., cum ad cognoscendam latinae poeseos structuram, tum ad ipsius rei periculum faciendum in versibus componendis: Deinde Collegae I. lectiones historicae, & una, progymnasmatibus graecis destinata.